

Doc. 111

In nomine domini nostri Iesu Christi. Anno incarnationis eius millesimo ducentesimo octuagesimo, regnante domino nostro Karulo Dei gratia invictissimo rege (...) Ego Palmerius Silvaticus canonicus Capuanus, beneficiarius ecclesie [s.] Andreo (...), que pertinet est (...) Sancte Capuane Ecclesie, declaro in presencia Iohannis Monachi, iudicis huius Capuane civitatis, et subscripti Iohannis | Vassalli notarii, presentibus et ad hoc vocatis et rogatis testibus: magistro Iohanne de Oiento, canonico Capuano, abbate Iohanne de Dompna Capuana et Stephano Scutario |, (retto da *declaro*, quarta riga) quia (...) tu dompnus Andreas sacerdos ecclesie Sancti Petri ad Pontem, procurator congregacionis eiusdem ecclesie Sancti Petri (...) bona tua voluntate, cum consensu quoque et voluntate clericorum predictae ecclesie Sancti Petri confratrum tuorum (...), per cartam in presencia suprascriptorum iudicis, notarii et testium, (...) alienavisti, dedisti et tradidisti mihi, pro parte predictae ecclesie | Sancti Andree, (...) duas petias terre suprascripte congregacioni ecclesie Sancti Petri pertinentes, que sunt foris hanc Capuanam civitatem.

Scuola APD - CAGLIARI

Prova di selezione 2024

Biennio 2024-2026

(S) In Christi nomine, amen. Cecius de curte Alluccionorum filius Albertini fuit confessus habuisse et recepissee a Mesarello filio Mesi, dante et solvente pro dicto Mese patre suo, libras quinquaginta sex denariorum lucanorum, quos dictus Cecius recipere debebat a dicto Mese, ut continebatur publice scriptura manu mei Fulcerii notarii et que scriptura cancellata fuit parabola Cecii prenominati. Et quos denarios eidem Cecio idem Mesarellus pro dicto patre suo Mese dedit coram me Fulcerio notario et testibus infradictis videntibus in quadam tasca pannilini et bene tot esse fuerunt confessi, de quibus se bene pagatum vocavit. Acta sunt hec in domo filiorum quondam Henrighi notarii, coram Octavante quondam Stefani et Rustichello notario quondam Arrighi notarii testibus ad hec rogatis, anno nativitatis Domini millesimo ducentesimo vigesimo sexto, quinto Idus aprilis, indictione quartadecima.

(S) Fulcerius imperialis aule iudex atque notarius his adfui et hec scripsi.

Scuola APD-CAGLIARI

Prova di Selezione 2023

Biennio 2023-2025

22 novembre 1275

Gualterius Terribili, miles, regius iusticiarius Terre Laboris, iudici Iohanni de Faraczano.

Olim legitime et perhentorie citari fecimus Guillelmum Iohannis de Landulfo, ad petitionem et instantiam Marie, uxoris quondam Bartholomei de Faraczano, volentis ipsum eo quod predictum Bartholomeum virum suum nequiter interfecit coram nobis in regia Curia criminaliter accusare ut in certo termino compareret in regia Curia coram nobis eidem Marie facturum iusticiam de premissis. Quo termino veniente predictus accusatus coram nobis in regiam Curiam venire aliquatenus non curavit nec comparuit aliquis pro eodem qui eius absentiam legitimis excusationibus excusaret. Expectato triduo post terminum, ut moris est, de equitate potius quam de iure, predicta Maria in predicto termino comparente et ipsius non comparentis contumaciam accusante, ipsum de consilio iudicis et assessoris nostri per regiam Curiam nobis dati, in regia Curia fecimus publice forbanniri (forbannire = bandire), et ad terciam partem bonorum suorum mobilium ad opus regie Curie condemnari, reliquis bonis suis omnibus usque ad annum annotandis. Quocirca vobis mandamus quatenus de bonis omnibus tam mobilibus quam stabilibus predicti Guillelmi cum diligentia inquiratis et tertiam partem mobilium omnium contumacis predicti ad opus regie Curie capiatis, reliqua bona ipsius usque ad annum annotantes et ipsum faciatis per predictam terram Faraczani denunciare voce praeconia forbannitum.

Scuola APD - CAGLIARI

prova di selezione 2019

Biennio 2019-2021

11/11/20

1285 marzo 1, Perugia

Martinus episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo lucano, salutem et apostolicam benedictionem.

Inundans malitia perversorum viris sancte religioni deditis adeo frequenter exhibet se infestam quod ipsi divino cultui, ut deberent, vacare non possunt, dum illorum malitiis agitantur. Cum igitur, sicut dilecti filii minister et fratres Minores provincie Tuscie nobis significare curarunt, nonnulli, qui nomen Domini in vacuum recipere non formidant, ipsos graviter molestare presumunt, nos, presumptorum huiusmodi refragari conatibus et dictorum ministri et fratrum gravaminibus volentes congruis remediis subvenire, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatenus ipsos non permittas contra indulta privilegiorum Sedis Apostolice ab aliquo indebite molestari, molestatores huiusmodi per censuram ecclesiasticam compescendo, attentius provisurus ne de hiis, que cause cognitionem exigunt, te aliquatenus intromittas. Nos enim, si secus presumpseris, tam presentes litteras quam etiam processum, quem per te illarum auctoritate haberi contigerit, omnino carere viribus decernimus.

Huiusmodi ergo mandatum nostrum sic fideliter exequaris ut eius fines quomodolibet non excedas.

Le pergamene del convento di San Francesco in Lucca, a cura di Vito Tirelli e Matilde Tirelli Carli, Roma 1993, pp. 177-178

Scuola APD-CAGLIARI

Prova di Selezione 2017

Biennio 2017-2019

Berengarius, Dei et Apostolice Sedis gratia episcopus lucanus, universis et singulis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis, salutem in eo qui dicitur vera salus. Extremi iudicii diem, in qua iusti sententia iudicis unumquemque secundum exigentiam operum iudicabit, oportet nos misericordie operibus prevenire ut, auxiliante Domino, cum electis advocet dextera manus eius. Sane cum nuper dilectus nobis in Christo Franciscus Guinigii lucanus pro sua suorumve parentum animabus in loco fratrum Minorum, positum in burgis lucane civitatis, quoddam oratorium sub Beate Lucie Virginis vocabulo construi et hedificari fecerit, et cupiat oratorium ipsum de bono in melius devotione fidelium augmentari, et nos, qui ecclesiarum piorumque locorum augmenta totis viribus affectamus, prout ex debito nobis comissi pastoralis tenemur officii, ipsum oratorium ampliare et augere totaliter cupiamus, ideo tenore presentium omnibus vere penitentibus et confessis, qui dictum oratorium Sancte Lucie devote visitaverint aut manus suas porrexerint adiutrices, quadraginta dies de iniunctis eis penitentiis misericorditer in Domino relaxamus, concedentes etiam cuicumque antistiti, gratiam et comunione Apostolice Sedis habenti, concedendi similem vel aliam indulgentiam pro dicto oratorio pro sue libito voluntatis, liberam facultatem. Datum Luce in nostro episcopali palatio, anno nativitatis Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo quarto.

Le pergamene del convento di San Francesco in Lucca, a cura di Vito Tirelli e Matilde Tirelli Carli, Roma 1993, p. 367.

Scuola APD CAGLIARI
Prova di selezione 2015

Biennio 2015-2017

1149 luglio 20, Roma

Eugenius episcopus servus servorum Dei, dilecto sibi in Christo fratri Luce, Dei gratia Insulano episcopo et successoribus tuis, salutem et apostolicam benedictionem. Per sedem apostolicam fidelium cunctis christianorum ecclesiis fovere, ut iura in earum viribus conserventur, ipsarum servitores in eis divinum exerceant cultum et fidelibus divina digne ministrent, rationabile esse dignoscitur et consonum rationi. Sane Dei gratia tua, Luca Insulane episcopo frater noster, petitio nobis et cardinalibus in consistorio aggregatis delata humiliter postulabat quod, cum tu humilis episcopus teneas et possideas et possidere debeas ex parte tui episcopatus Sancte Marie de Insula quedam bona data et concessa a carissimo in Christo filio nostro Rogerio illustri rege Sicilie, prout in quodam privilegio in greco sermone confecto, plumbeo pendenti sigillo incliti regis Rogerii sigillato continetur, quod quidem in nostro consistorio latino idiomate legi fecimus et videri, quod illa tibi prefato Luce, humili et devoto fratri nostro episcopo Insulano, episcopatu tuo sancte Marie de Insula atque tuis successoribus confirmare et sub beati Petri et nostra protectione recipere dignaremur. Nos autem tue, Luce episcopo, humilitatis et episcopalis sanctitatis constantiam attendentes, tuis iustis postulationibus inclinati, omnia in predicto privilegio regis Rogerii carissimi filii nostri annotata tibi prefato episcopatu ac successoribus tuis gratiose concessa sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et de certa nostra scientia confirmamus.

da Paul Fridolin Kher, *Papsturkunden in Italien*, III, Città del Vaticano, Biblioteca Apostolica Vaticana, 1977, p. 456

Scuola APD - CAGLIARI
Prova di Selezione 2013
Biennio 2013-2015

1117 gennaio 17, Montecassino.

Girardus, Dei gratia Cassinensis abbas, venerabili sorori Gemme, abbatisse monasterii nostri sancti Iohannis Baptiste.

Cum omnibus universaliter christianis caritatis ac benevolentiae sit officium impendendum his tamen qui sunt eiusdem professionis quique in his quae ad Deum pertinent actentius atque devotius operam dare probantur studiosius atque propensius est exhibendum. Quapropter ego Girardus, Dei gratia Cassinensis monasterii abbas, cum quadam die Capuam advenissem pro negotiis coenobi nostri simulque nobiscum quidam ex fratribus nostris adessent, iamque crebro nobis esset relatum de quodam nostro monasterio quod intra capuanam civitatem in honore sancti Iohannis Baptiste constructum est quod sorores sanctimoniales in eodem loco manentes secundum regulam sanctissimi patris nostri Benedicti religiose ac spiritualiter viverent sed quam plurimis sibi necessariis sumptibus indigerent, paterna motus pietate earumque indigentiae compatiens sapienti atque salubri consilio et rebus cuiusdam nostri monasterii, quod intra capuanam civitatem in honore sancti Benedicti edificatum est, auxiliandum fore decrevimus, ne pro temporalium rerum indigentia in aliquo divina, quod absit, obsequia ab ancillis Dei minuerentur.

Quapropter ego Girardus, Dei gratia Cassinensis monasterii abbas, una cum consensu ac voluntate fratrum nostrorum, donamus atque concedimus et ex nostra liberalitate largimur iamdicto monasterio sancti Iohannis et tibi domne Gemmae venerabili abbatissae omnes et integras terras quas monasterium Sancti Benedicti habuit atque possedit infra fines de castro quod vocatur Petramelara.

Le pergamene di Capua, a cura di Jole Mazzoleni, I, Napoli 1967, p. 36.

Scuola APD - CAGLIARI

Prova di Selezione 2011

Biennio 2011-2013

1171 giugno 19, Perugia.

Alexander episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Alfano Capuano, archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Officii nostri debito et auctoritate compellimur ut controversias que ad apostolice Sedis perferuntur exacta diligentia et studio debeamus audire, et que apud eam decisa fuerint et fine congruo terminata, ne in recidivam contentionem valeant divenire, apostolicis scriptis convenit adnotari. Ad hoc enim ecclesiarum omnium matrem atque magistram sacrosanctam Romanam Ecclesiam providentia divina constituit ut implicitas et graves questiones explicare debeat et servato rigore iustitie diffinire.

Cum tu et dilecta in Christo filia nostra Mathea, abbatissa Sancte Marie Captane, pro causa que inter te et eam vertebatur super subiectione quam in eodem monasterio requirebas et libertate pariter in quam eadem abbatissa proclamabat, in nostra essetis presentia constituti, iamdicta abbatissa privilegia principum et trium predecessorum nostrorum coram nobis in medium protulit; multitudinemque testium ad defendendam et demonstrandam in quam proclamabat libertatem produxit. Tu vero proposuisti quod, cum infra fines tue diocesis idem sit monasterium fundatum, iure communi ad ecclesiam tuam debeat pertinere, et super hoc multorum te canonum auctoritate fretum dixisti, quibus espresse monstratur quod monasteria et ecclesie ad episcopos pertinent in quorum territorio fondata noscuntur. Nos igitur, conoscentes tam ex hiis que ex parte tua allegata sunt quam ex attestatione testium alterius partis quod antecessores tui abbatissas et moniales sepedicti monasterii benedixerint et missas ibi publicas celebraverint, te, a petitione memorate abbatisse super libertate quam sibi adversus te vindicare nitebatur, absolvimus, et tam tibi quam ecclesie tue idem monasterium adiudicavimus et perpetuo subesse decrevimus.

Le pergamene di Capua, a cura di Jole Mazzoleni, I, p. 126

Scuola APD-CAGLIARI

Prova di Selezione 2009

Biennio 2009-2011

1426 gennaio 5, Roma.

Iordanus, episcopus albanensis, venerabili ac religioso viro Ordinis fratrum Minorum provincie Tuscie ministro, salutem in Domino sempiternam.

Inter alias preces supplicum, que nobis continue porriguntur, illis libentius annuimus precum votis, que sacre continent religionis augmentum. Expositum siquidem fuit nobis pro parte tua cum reverendus in Christo pater, dominus episcopus lucanus, quandam suam parrochiam ecclesiam sitam in civitate lucana, pro construendo in ea monasterium sanctimonialium Ordinis Sancte Clare, eidem Ordini intendat concedere, certis tamen sibi iurisdictionibus reservandis, quas per publicas conventiones et pacta solemnem stipulatione vallanda tecum contrahere cum debitis obligationibus primo petiit, sed quia, obstante tibi Ordinis Minorum regula cuius professione ligaris, huiusmodi obligationis contractum legitimum celebrare non potes, supplicari fecisti humiliter pro dicti Ordinis Sancte Clare devotionis augmento, ut hac vice dumtaxat contractum obligationis huiusmodi cum dicto episcopo celebrare valeas et eius obligationes vice et nomine futuri monasterii legitime suscipere in te ipsum. Nos vero, attendentes tuas preces ad propagandam dicti Ordinis devotionem pretendere, tuis devotis supplicationibus annuentes, ut cum dicto episcopo lucano convenire et pangere pro dicta parrochiali ecclesia obtinenda et obligationes suscipere valeas, dum tamen pacta in detrimentum regule et constitutionum dicti Ordinis non existant, tibi plenam libertatem et licentiam concedimus per presentes.

Le pergamene del convento di San Francesco in Lucca, a cura di Vito Tirelli e Matilde Tirelli Carli, Roma 1993, p. 369.

SCUOLA APD - CAGLIARI

Selezione 2007

Biennio 2007-2009

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis priori et canonicis dominici Sepulcri salutem et apostolicam benedictionem.

Gravis et culpabilis presumptionis enormitas ad audientiam nostram Ianuensium civium conquestione pervenit quod quidam de canonicis vestris auream scripturam, que statuta bone memorie Balduini regis inter eum et ipsos Ianuenses inita continebat, de circuitu altaris ubi prefate littere radiabant dampnabili presumpserint iniquitate delere, ut rei geste memoriam tollerent et prefatis Ianuensibus dissensionis et scandali materiam generarent. Cum nulla fere portio cristiani orbis ignoret quod, sicut de ipsorum concordia terre Ierosolimitane multimodis commodum, ex discordia et turbatione ipsorum grave potest accidere detrimentum. Quapropter discretioni tue per apostolica scripta precipiendo mandamus quatenus eos, qui predictae fuerant obliterationis auctores, scripturam quam diximus reficere compellatis; aut si illi mortui sunt vel alias forsitan non compareant, vos ad restorationem eius impensas idoneas de communibus facultatibus ministretis. Et predictis Ianuensibus eam restaurare volentibus nullum omnino prestetis obstaculum quominus in litteris denuo reparatis constitutionis antike renovent monumentum. Quod, cum fuerit auctore Domino renovatum, caveatis omnimodis ne in predicta scriptura similis presumptionis innovetur excessus.

Datum Verone, III idus marcii [1186].

Da *Codice Diplomatico della Repubblica di Genova* a cura di Cesare Imperiale,
Roma 1938, vol. II, p. 302, n.159.

Scuola APD - CAGLIARI

Prova di Selezione 2005 Biennio 2005-2007

Nos Karolus, capitaneus Communis et populi Perusii, sedens pro tribunali in palatio Communis, ubi dominus potestas (=podestà) ad ius reddendum moratur, infrascriptas condemnationes et sententias condemnationum de infrascriptis hominibus et personis pro infrascriptis malefitiis et delictis damus et sententialiter proferimus in his scriptis in hunc modum, videlicet:

Venturam Petri, notarium de castro Sigilli, contra quem processimus per modum inquisitionis in eo et super eo quod loco et tempore in dicta inquisitione contentis dictus Ventura, corruptus pecunia et precibus Pucii Vilani de dicto castro Sigilli, et de mandato dicti Pucii, falso et dolose fabricavit, scripsit et fecit quoddam instrumentum falsum donationis Iohannis Bartolucii de villa Scagnoli in favorem dicti Pucii. Quodquidem instrumentum fuit falsum et non verum, cum in re veritate Iohannes Bartolucii numquam fecisset donationem praedictam. Quem Venturam citari fecimus et requiri semel et bis et perhentorie ut infra certum terminum comparere deberet ad se excusandum a dicta inquisitione, et non comparuit ipse nec alius pro eo, qui ipsius contumaciam legitime excusaret, semper in contumacia persistendo. Si dictus Ventura libras quingentas denariorum perusinorum non solverit infra terminum eidem per iudicem adsignandum, ducatur ad locum iusticie consuetum et eidem manus destra et lingua debeat amputari, ita et taliter quod manus a brachio et lingua a gutture separentur, et quod in perpetuum tam tabellionatu quam alio quolibet officio sit privatus et omnes eius scripturae et contractus auferantur eidem et deponantur apud bonum et fidum notarium.

Anno Domini MCCCXXXIII.

Da *Il notariato a Perugia*, a cura di Roberto Abbondanza, Roma 1973, p. 185-186.

Scuola A PD - CAGLIARI

Prova di Selezione 2003 - Biennio 2003-2005

Contra notarium Odonum de Bidecto (*Bitetto*)

Inichus De Davalos Montis Odorisii comes, et consiliarius regnique Sicilie, magnus camerarius etc. egregio viro capitaneo civitatis Bidecte (*Bitetto*) seu eius substituto, fidelibus regiis etc. Tenore presentium, regia auctoritate qua fungimur, committimus et mandamus vobis quod statim, receptis presentibus, iniungatis et mandetis seu iniungi et mandari faciatis ex regia nostrique parte notario Odoni de Bidecta quod infra dies IIII, a die mandati sibi per vos faciendi seu fieri faciendi in antea numerandos, se personaliter presentare debeat in civitate Tarenti, coram officialibus dicte Camere, cum omnibus suis libris, rationibus et scripturis aliis, facientibus et necessariis ad computandum et rationem reddendum de gestis et administratis per eum, ex commissione et mandato bone memorie principis Tarenti, ac etiam ad respondendum ad ea, que per officiales ipsos sibi dicentur et requirentur pro interesse regie Curie. Et contrarium non faciat, sicut (= sicut) penam unciarum centum ab eo, si contra fecerit, exigendarum cupit evitare.

~~Data in civitate Tarenti, apud dictam regiam Cameram Summarie die XXVIII mensis iunii XII indictionis, millesimo CCCCLXIII. Petrus Cola de Alexandro pro magno camerario.~~

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen. Notum sit omnibus tam futuris quam presentibus quia ego Alexander de Buhone pro salute anime mee et parentum meorum, tam vivorum quam defunctorum, reddo ecclesie Sancte Marie de Valle Iosaphat dotem Sancti Demetrii cum omnibus pertinentiis suis et dotem Sancti Iohannis similiter cum omnibus pertinentiis suis, sicut privilegia sua requirunt, et patrimonia villanorum Sancti Michaelis ex toto ubicumque sint, de quibus videlicet dotibus et patrimoniis eidem ecclesie diu facta iniuria fuerat, quod ego bene recognosco. Unde ego, timens periculum anime mee, hoc totum supradictum reddo et concedo solidum et quietum supranominate ecclesie in perpetuum, sicut ipsa ecclesia tenuit et habuit in tempore matris mee et fratris mei, qui illa donaverunt. Que concessio et confirmatio ut stabilis et certa permaneat, propria manu mea in hoc privilegio hoc signum  depinxi, et ipsum privilegium sigillo meo munivi et confirmavi. Si quis vero hanc confirmationem violare presumpserit, anathematis sententia feriat. Facta est autem hec redditio anno ab incarnatione Domini MCLIII, tercio nonas decembris, regnante domino nostro potentissimo rege Rogerio et rege ~~Willelmo. In presentia domni Iohannis de Barleto prioris Calabrie et domni Roberti prioris Sancti Michaelis et fratris Arduini et Rodulfi medici qui hoc privilegium scripsit, presente etiam et concedente Nicholao notario meo, qui manu sua hoc signum  fecit. Huic etiam confirmationi idoneos testes adhibui qui presentes affuerunt et propriis manibus suis signa sua fecerunt.~~

Scuola APD - CAGLIARI

Prova di Selezione 1999

Biennio 1999-2001

Pro universitate Larenī provincie Capitinate.
Inichus de Davalos egregio viro capitano civitatis Lucerie eiusque locumtenenti et quibusvis officialibus qui propterea requisiti fuerint, salutem. Pro parte universitatis et hominum civitatis Larenī fuit coram nobis expositum quod, cum exponentes ipsi solverint egregio viro Landulfo Abbati de Neapoli commissario per regiam Maiestatem ordinato super recollectione taxe generalis in provinciis Capitinate et terre Bari ratam eos tangentem pro solutione taxe predictae, quae exacta fuit de mense augusti proxime preterito, qui quidem Landulfus eisdem exponentibus denegavit atque denegat de solutione huiusmodi facere apodixam (= apocham), incidendo propterea in penam in talibus secundum regni huius capitula statutam, nec minus in ipsorum exponentium non modicum interesse; super quo nostra provisione petita, vobis propterea et vestrum cuilibet qui propterea fuerit requisitus, tenore presentium officii auctoritate qua fungimur committimus et mandamus quatenus vos seu vestrum alter mandet prefato Landulfo, sub pena in dictis capitulis propterea statuta, quatenus eisdem exponentibus facere debeat de solutione predicta debitam apodixam, eis ad cautelam omni tempore valituram, si autem de presenti mandato senserit se fore gravatum, et causas habet quare ad predicta minime teneatur, illas, infra dies sex post mandatum huiusmodi sibi intimatum, alleget et proponat coram nobis, quoniam sibi per nos ministrabitur iusticie complementum. Data Baroli die VI mensis februarii VII indictionis MCCCCLVIII.

SCUOLA APD - CAGLIARI

Prova di Selezione 1997. Biennio 1997 e 1999